



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IV. Gratia cum fiducia, Deo agenda: Indifferentia servanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

IV.

*Gratia cum
fiducia, Deo
agenda: In-
differentia
servanda.*

Imò ad singula *Deo gratias* dicere assuescet: quas voces ut in ore sæpè habeamus, suadet Augustinus in Psalmum 132. & Clericos suos ac monachos sic instituerat, ut ad occursum mutuuum eas pronuntiarent. Quodcumque Deus nobis occurrit, sive ablandiens, seu minabundus, dicamus illi, *Deo gratias*: nec dubitemus, malum qualecumque beneficio mutatum iri, si postquam ipsum oraverimus, & quæ licent remedia adhibuerimus, malum non tollat. Ob causam eandem in futurum, quamdiu de Dei voluntate nobis non constat, libranda voluntas nostra est, & in neutram partem, quantum fieri potest, flectenda. Qua de re benè Bernardus, Sermone, Quomodo voluntas nostræ divinæ subjici debeat: *Rogo vos, inquit, diligenter attendite, quia nihil occurrit, quod utilius possitis audire. Vbi certa est voluntas Dei, etiam nostra sequatur. In his verò rebus, in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat, pendeat inter utrum-*

M

que

que, aut saltem neutri parti nimis inhereat, cogitans semper, ne forte altera pars magis Deo placeat.

V. *Quomodo
agat Dei
Providentia.* Ut ad tam sublime fastigium humana mens enitatur, frequenter quaternos contempletur divinæ Providentiæ vultus: Sapientiam, suaviter omnia disponentem: Potentiam, attingentem fortiter ad finem à fine: Justitiam, summa æquitate mala infligentem: Bonitatem, ad optimos fines singula referentem. Hanc potissimum spectari volebat Hieronymus epistola ad Paullam de obitu Blæfillæ: *Bonus est Dominus, & omnia, quæ facit bonus, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur? Plango quod accidit: sed quia sic placet Domino, equo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius? Durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat... Sanus sum? Gratias refero creatori. Languet? Et in hoc laudo Domini voluntatem. In morbis, in orbitate, in viduitate, in quibusvis humanæ vitæ casibus, æquanimis est vir bonæ voluntatis, quia id revolvit in animo: Bonus est*

est